

In nomine sancte et individue trinitatis patris et filii et spiritus sancti. Amen

**I**n nomine sancte et individue trinitatis patris et filii et spiritus sancti. Amen  
 Anno ab incarnatione domini millesimo quadringentesimo (*sic*) octuagesimo visum est  
 convenire ut saltim aliqua [et si non omnia] facta a predecessoribus nostris ab initio circa  
 erectionem capelle nostre Domine de Gratia ac monasterii cartusiensis eidem contigui  
 iuxta Bruxellam peracta quantum possibile foret insimul colligerentur ut fide dignorum  
 relatione visu aut auditu aut alias perciperentur et in scriptis redigerentur, ut memoria  
 hominum labilis sic iuvaretur et perpetuaretur maxime de rebus novis, magnis, mirabilibus et  
 multo tempore duraturis nec omnino deperirent sed deo et beate Virgini a posteris sicut a  
 prioribus de multiplicibus et variis beneficiis exolvantur debite gratiarum actiones et laudes.  
 Ipsique successores antiquorum facta legentes et audientes occasionem sumant opera virtutum  
 eorundem commendandi, magnificandi ac imitandi. Quam opera magnalia dei et sanctorum  
 magnificare et laudare honorificum est, imitari autem ipsa salutiferum. Ne igitur quis ex  
 ignorantia historiae predictorum labatur errore, aut domino seu tedio aliquo officiatur, maxime  
 eorum que concernunt manutinentiam status domus huius personarum bonorumque deo et  
 beata (*sic*) virginis mihi propitiis quorum auxilium propensius invoco plano stilo et brevi  
 eandem aggrediar. Intendo enim componere tres libros. In primo narrabitur quasi historia  
 factorum, statuum, personarum et similium huius domus a principio inchoationis usque  
 annum predictum quod peto ut sequentes presidentes more cronicorum pro tempore suo  
 prosequantur. In secundo autem libro ponentur copie literarum hereditatum et possessionum  
 et reddituum, et similium.

In tertio autem colligentur copie gratiarum licentiarum libertatum et huiusmodi.

**I**n primis igitur fuit ab antiquis temporibus et est quidam locus dictus *den hoogecouter*, sic  
 dictus ab altitudine situs, habens ab oriente inclitum oppidum Bruxellense, ab occidente  
 villagium dictum *Dielbeke* a meridie *Anderlacum*, ab aquilone *Berchem* infra libertatem dicti  
 oppidi sed in *parochia anderlectensi*. In praedicto loco pristinis temporibus anno sc domini ut  
 fertur m ccc lvi quodam die mercurii xvii<sup>a</sup> augusti infra octavas sancti Laurentii regnante tunc  
 illustrissima *domina Johanna* ducissa Brabantie bellum non modicum magnaue strages  
 populorum contingit inter Ludovicum comitem Flandrie et nobiles et communitatem ducatus  
 Brabantie ex parte ducisse predicte, ita ut ex *maxima christiani sanguinis effusione* dictus  
 locus scribitur irrigatus fuisse et ex invectione corporum pro stratorum in quandam becam  
 adiacentem ut quidam dicunt dicta vocata sibi Mortenbeke quamvis ex prioribus temporibus  
 dicta beca

hoc nomen habuisse alii asserant. Unde iuxta antiquorum iurisconsultorum oppidi predicti interpretationem dictus locus *boochouter* ex sanguine christianorum ibidem occisorum bene poterit dici factus religiosus.

**I**n quadam autem parte huius loci circa communem plateam seu viam fuit quedam parva pars viridis dicta *ten elterken* tunc enim ibidem in diebus rogationum cruces et processio anderlectensis solebant pausare que modo, repausant in capella nostre Domine de Gratia iuxta quam viridem partem stabat arbor dicta *den Schuet boom*, propter actus sagittationum ibidem quondam factos. Apud alteram huius vie partem fuit quedam parva viridis planicies ad modum trianguli, in qua sanctissima disponente Trinitate ortum habuisse dicitur tam capella nostre Domine de Gratia quam etiam monasterium (seu domus cartusiensis) eidem capelle contiguum: quæ capella ac etiam domus non casu vel ex hominis impositione dicta est capella et domus nostre Domine de Gratia sed signis et prodigiis ac revelatione ipsius beate virginis ut postea patebit.

**N**ota quod anno domini m.ccc.lvi fuit hic bellum in loco nostro xvii<sup>a</sup> augusti in octavis beati Laurentii et infra octavas assumptionis bte marie. Et anno eiusdem m.cccc.lvi fuit hic prima missa cantata et ordo cartusiensis inceptus sc vii<sup>a</sup> septembris et in profesto nativitatis nre Dne, et deinceps continuatus. Deo Gratias

**E**st autem consuetudo laudabilis in Brabantia et aliis partibus quod in vel saltim— circa loca saltim ruralia ubi aliquis aut aliqui occisi fuerunt aliquod signum sive crux sive capellula aut simile ponatur, ut transeuntes videntes tale signum intelligent ibidem pridem aliquem vel aliquos occisos, ac per hoc incitentur ad orandum pro eis prout divina gratia inspiraverit. Quam laudabilem consuetudinem dicta ducissa Brabantie ac comes Flandrie cum suis adherentibus non attendentes, aut forte negligentes, nec crucem nec capellam in dicto *locu den boogecoutere* ubi quamplures ab utraque parte ut premittitur in prefato bello occisi fuerunt nec aliud signum circa communem viam posuerunt ut saltim transeuntes illius memores pro animabus illorum intersectorum orarent. Beata autem virgo maria mater misericordiae et gratie que more bone matris non imperpetuum obliviscitur filiorum suorum id ipsum omnino negligere noluit. Sed tempore a deo disposito ab eodem obtinuit quatenus in vel circa locum ubi dicta christianorum

strages facta est ad dei et sui honorem non tantum capella sed etiam monasterium precipuorum religiosorum cartusiensium sc construeretur quomodo autem et quando id actum sit sequens pagina declarabit

**C**um enim annus centesimus appropinquaret ab anno quo predicta strages in prefato loco contigerat qui duplex iubileus et gratie esse dicitur, pie putandum est tam ex divina preordinatione quam etiam ex celesti influentia predictam capelle et monasterii erectionem a longe ex principiis remotis sumpsisse exordium ut ubi pridem mors oriebatur corporum, ibi vita resurgeret animarum. Et locus qui tempore belli predicti factus est locus stragis, mortis, luctus, ac tristitie anno iubileo prefato esset ex divina gratia, pacis, vite, gaudii et consolationis, gratie ac glorie triumphalis vincentium in bello spiritualium quod ipsi cartusienses hic venientes ipso centesimo anno viriliter aggressi sunt et ipsa Virgine beata opitulante, usque in finem perseverantes erunt. Et sicut quamplures diversarum tunc patriarcharum ad perdenda corpora non tantum proximorum sed etiam sua cum armis et fustibus et sonita(sic) bellico ad dictum locum convenerunt, ita et nunc post tanta tempora ex diversis mundi partibus ad dictum locum ad lucrandas animas cum devotis orationibus et variis exenii et oblationibus confluenterunt aut etiam per ingressum religionis se totaliter deo et beate virginis mundo moriendo et renunciando offerrent.

**I**n confinio autem predicti loci *ten elterken* a parte boreali communis vie ibidem transeuntis fuit quedam amena viridis et parva planicies terre arabilis figure triangulis ad quantitatem rastri vel circiter, in qua nihil aut raro seminari consuevit eo quod ea particula terre seminalis attinebat terre site ab altera parte communis vie, ubi iam est capella vel saltim murus inter duas capellas apud ostium et cancellos. Ad quam planiciem amenam conveniebant termini seu limites trium hereditatum circumiacentum, utputa(sic) ecclesie seu fabrice sancti Petri Anderlectensis, hospitalis sancti Joannis in Bruxella et sancti Cristoferi in Ruysbroeck infra Bruxellam que omnes hereditates modo sunt domus nostre Domine de Gratia ut patet in 2º libro. Qui locus apparebat viatoribus tam ex situ quam etiam ex aere adeo amenus et delectabilis, quod pedestres labore itineris lassati plerumque ad eandem planiciem pro requie et solatio captando se divertere consueverunt.

Quidam autem sepius iter faciens circa locum predictum nomine *Petrus de Asca* agricola et pastor ovium etatis circiter sexaginta annorum in vicinio sc *Mortenbek*a habitans, vir iustus et bonus, simplex et timoratus, predicta considerans quasi a spiritu sancto inspiratus, qui est in labore requies in estu temperies, in dicto loco triangulari pro derelicto habito, et tanquam limitario a nemine possesso, et quasi ad usum transentium dimisso, quandam tiliam et duas arbores spineas plantavit, itinerantibus compatiens, ut suo frondibus eorum viatores refrigerium tam a calore solis quam etiam laboris ac ex itinere fatigata ibidem membra recrearent, oneribus etiam et sarcinis gravati ut sua onera per se deponere, ipsisque depositis se refocillare possent et postquam fuissent refocillati sive alterius adminiculo insumere velerent, sub predictis tilia et spinis scabellum idem *Petrus* fecit super quod viatores sederent ac gravati oneribus suas sarcinulas deponerent et iterum postmodum resumere possent. Et hoc sic circa annos dmi m.cccc.xliii.. Duobus aut tribus annis vel circiter in tali dispositione permansit.

**P**ost annos prefatos considerans idem *Petrus* multos viatores sub predictis arboribus requiem et solatium sumere desiderans ut presumitur ex divina inspiratione quod viatores illac transeuntes, aut requiem capientes corda sua angelica salutatione aut alia pia oratione ad beatam virginem Mariam erigerent ad eam se converterent ac debitum sibi honorem et obsequium impenderent, pro tribus denariis argenteis prout idem *Petrus* retulit emit quandam simplicem imaginem beate Virginis Marie ex ligno sculptam, in quadam humili capsula positam quam appendit uni de predictis spinis virentibus et crescentibus ad quam ipse ex devotione sui cordis sepe divertens, aliosque exhortans et exemplificans vota sua et orationes eidem solvebat. Unde post hoc plures non solum vicini sed etiam alii quandoque ibidem confluere reperunt.

**V**idens autem idem *Petrus* plurimorum concursum, cupiensque eandem imaginem amplius honorare cum sepius ibidem cum multis resideret exposuit eis qualiter valde affectaret ultra predictam imaginem domunculam favere. A quibus dicitur esse suggestum ut eandem imaginem ab arbore deponeret et in quadam magno trunco reponeret, et cum virgulis ferreis intus recludi faceret quod etiam ad statim(*sic*) perficere curavit. Nam habens in quadam prato suo non longe a dicto loco quandam magnam quercum, ipsam evelli fecit et ramis abscisis in trunco eiusdem reponi

fecit, facta ad hoc quadam concavitate in qua ipsam cum quibusdam virgulis ferreis inclusit. Dictumque truncum inter prefatas spinas posuit, et terre firmiter infixit quibus sic dispositis ceperunt vicini et transeuntes aliqualem ostendere devotionem ad eandem imaginem offerentes rosas lilia maios fructus et similia, quidam etiam cereos et candelas ardentes, pro quorum luminis conservatione facta sunt quedam lucerna que duravit usque ad magne capelle constructionem

**H**iis ita dispositis non valuit adhuc *Petrus* esse contentus nisi desuper imaginem et truncum haberet domunculam ad quam tam vicinos quam alios crebrius hortabatur ut saltim ad hoc porrigerent manus adiutrices, sicque ad instantiam et molestiam ipsius *Petri* diversi diversa ad opus illud dare promiserunt quidam lateres, quidam calcem, quidam ligna, quidam precium operariorum etc. sicque factum est postquam ad aliquod tempus dicta imago stetisset in trunco, ut est predictum, quod ipse *Petrus* cum suis adiutoribus quandam parvam domunculam super quatuor stipites ligneos sine parietibus cum tecto desuper latericio in qua pauci possent residere apud imaginem construerent, in qua etiam sepius misse postmodum celebrate fuerint.

**I**stis autem sic perfectis cepit devotio tam *Petri* dicti quam multorum aliorum ad prefatam imaginem augeri in antum quod idem *Petrus* sepe ter in die ex sincera sua devotione ad eandem imaginem veniens ipsam visitaret et orationes et vota sua ibidem solveret, prout ipse desuper interrogatus retulit et vicini testabantur summe desiderans quod in futurum ibidem posset ecclesia in honore dei genitricis Marie fabricari, et cultus dei et divinum officium celebrari. quam quidem ecclesiam cum multo lumine tam in visione quam etiam clara die professus est se vidisse. Unde cum quadam vice ambularet cum *Egidio Ots* iuxta locum dictum *de cammert*, interrogavit ab eodem an ne in loco ubi stabat dicta imago quandam pulcram ecclesiam cum duabus turribus videret qui respiciens nihil vidit, simile etiam audivi quod aliis sepe dixerit: Intantum(*sic*) etiam idem *Petrus* dicto loco ex devotione afficiebatur, quod sepe media nocte surrexit de latere uxoris sue dormientis volentis eum retrahere Cui dixit: Oportet me illuc ire, et tunc et etiam in die quandoque dxcit se vidisse multa luminaria ac tantam lucem quod quodammodo diei claritatem vincere et superare videretur. ceteraque similia.

**P**ost predicta circa annos dni M.cccc.xlviii sicut putatur accidit ut supradictus *Egidius Ots* insidens equo cum altero

in eodem post se posito transitum faceret ante dictam imaginem sic ut prefertur in domuncula collocatam et videns rosas ante imaginem positas diceret assidenti sibi in equo. Capiamus has rosas, quid habet opus imago bte Virginis de istis rosis. His dictis cum vellet eas capere antequam id perficere possent, ecce subito cecidit equus cui sedebat in terram, et ipse cum socio suo. Quo viso recognovit ipse *Egidius* malum esse propositum suum et displicere beate virginis, dicens: Malum est quod facere voluimus et ingratum beate virginis Marie. Ex hoc ipse et alius et qui audierunt maiorem reverentiam imagini beate Virginis exhibuerunt, cuius facti fama statim per oppidum Bruxellense percrebuit. Item simile factum, cuidam alteri ut *Hermannus Anderlecht* affirmavit etiam accidit, qui etiam rosas beate Virginis imagini oblatas auferre voluit.

**I**tem anno m.cccc.xlix in die Ascensionis dni idem *Hermannus* retulit, cum quidam *ter Natte* ad dictum locum venisset, et quedam pulcra poma beate Virgini oblata ibidem perspexisset (ut Eva) eorum pulcritudine allactus quedam auferre temptavit sed ut predictis de rosis ita isti de pomis accidit. Nam antequam quod proposuit perficere potuit se ad terram prostratum invenit et ipse culpam suam recognoscens veniam petiit et beatam virginem in eodem loco deinceps in magna devotione habuit. Cuius et factum ad statim undique pervolavit.

**I**tem sicut et in scriptis repperi, et ab aliis idem estimantibus audivi, eodem anno in nocte solemnitatis Pentecostes iuxta dictam imaginem apparuit multis quidem mirabilis claritas supercelestis que cooperante Spiritu sancto corda viventium et audientium in mirabilem et insperatam accendit devotionem ad dictam imaginem visitandam, et vota et oblationes offerendas, intantum quod numerus visitantium ipsam illa die, et infra octavas eiusdem copiam decem milium excederet, per quos hec nova peregrinatio et visitatio ad notitiam longe et prope distantum in brevi perducta est, de qua ego sive tunc sive postea, ignoro distans ad xvi miliaria percepvi. Unde dictus *Egidius* cum suis adiutoribus ipsa hebdomada ibidem ad apportum sedentes solutis tam vidualibus, quam pretio laboris ipsorum quoddam canistrum

plenum pecuniis tam parvis quam magnis collegerunt. Has autem pecunias ad dominum Ammanum Bruxellensem dm *Johannem de Kestergate* et ad Senatum eiusdem Oppidi detulerunt qui eas in quadam capsula poni fecerunt habente tres vel quatuor claves diversis traditas, ne quis singularis intraret quam sub manu Petri Pauli dimiserunt et quorundam aliorum donec cum auctoritate dmi Cameracensis viderent quid de et per ipsas pecunias fieri deberet.

**P**ost hanc autem ebdomadam pentecostes predictam cepit de die in diem amplius augmentari visitatio huius imaginis a diversis diversarum patriarcharum et nationum: ita quod multi ipsam beatam Virginem in dicto loco invocantes et sua vota eidem voentes in periculis languoribus et necessitatibus suis auxilium ab eadem, consolationes et remedium dicuntur invenisse. De quibus pauca in speciali postmodum sequuntur. Sic quod multe oblationes dona iocalia et varia minuscula cum pecuniis apportantabur. Quod videntes et percipientes dicti Ammanus et senatus Bruxellensis circa octavas Pentecostes dictum *Egidium Ots* cum quibusdam sibi adiunctis deputaverunt recipere, servare, et ad capsulam predictam dictum apportum deferre quod et ad tempus etiam fecerunt. Ex parte autem dmi Cameracensis dicens se esse missum quidam alius venit apud eos ut cum eis etiam sederet ad apportum et custodiret eum: sed quia ut *Egidio* videbatur et forte etiam aliis ille occulte visus est aliquid de apporto pro se subtrahere. Unde male contentabantur. Non diu ibidem permansit, sed pro huiusmodi scelere et forte aliis similibus in brevi suspensus fuit. Sic etiam postea sepius aliis diversis accidit qui vel furari vel incendere res beate virginis temptaverunt.

**E**t quia locus predictus nondum fuit consecratus et quodammodo prophanus in quo quotidie dicebantur fieri multa et varia signa propterea super inquisitione veritatis horum signorum celebrate sunt post hec in refectorio Carmelitarum Bruxellensium tres solennes congregations notabilium deputatorum ex parte dni Cameracensis et dni Ducis Burgundie et oppidi Bruxellensis a quibus examinati sunt diversarum conditionum homines ex oppido eodem qui se dixerunt per perigrinationes et vota sua apud dictam nostram Dominam de Gratia in loco

prefato de suis infirmitatibus, periculis, languoribus, et necessitatibus, remedia curationes et consolationes invenisse de quibus per singula scribere longum foret.

**I**n hac tamen examinatione unum inveniebatur quod preterire nequeo. Quedam enim mulier a dictis deputatis iurata et diligenter examinata asseruit quod in supra dicta nocte Pentecostes circa auroram in quadam visione apparuit ei semidormienti ante lectum suum una pulchra domina velut Regina in camera sua ambulans, dicens sibi: Tu mulier dic populo Bruxellensi quod in Schuete volo honorari et adorari et Domina de Gratia appellari. Quo audito, dicta muliere perterrita et stupefacta exergiscente prefata *Domina* evanuit. Que mulier per iuramentum constanter affirmavit se similem visionem tribus sequentibus noctibus continua semidormiendo habuisse sic post hoc predicta imago beate Virginis dicto trunko inclusa nra Dna de Gratia apud omnes communiter est nuncupata, et in literis fundationis monasterii et aliis nominata et sub tali appellatione domus hec ordini Cartusiensi incorporata et ab ordine recepta etiam non sine miraculo ut sequitur.

**C**um enim domus ista in Capitulo generali apud maiorem Cartusiam ordini esset incorporanda magna fuit hesitatio de eius intitulatione eo quod dum diversi super eius nominatione diversimodo scripsissent ad Capitulum quedam domus bte Marie de Gratia. Alii domus gloriose virginis de Gratia alii domus nostre Domine de Gratia, alii alio modo quasi sancto spiritu inspiratum et nostra dna cooperante capitulum unanimiter ordinavit quod domus ista per totum ordinem nominaretur domus nostre Domine de Gratia iuxta Bruxellas ut postea patebit.

**I**nsuper ad predicte visionis et nuncupationis confirmationem quidam honorabilis *curatus de Itterbeke* nostre Domine de Gratia devotus ex causa quam ipse scivit et cui plura de eadem per visionem putantur visa que narrare noluit dictus multa dicerem si superiorem meum non timerem custodi *Imaginis* sc *Hermannus de Anderlecht* onus dedit ut quandam parvam tabulam cum imagine beate Virginis faceret fieri

quam ipse solvit et sub eadem imagine scribi titulum nra Dna de Scuete que tabula appensa fuit prefate domuncule et adhuc est affixa Capelle exterius inter duas columpnas ad meridiem. Unde putatur quod beata Virgo eidem etiam manifestaverit quod in dicto loco de Schuete honorari et adorari velit, et nra dna de Gratia appellari sicut et appellatur.

**E**t quia post hec multa signa et prodigia diversis personis per nram dnam de Gratia de diversis partibus contigerunt que in particulari narrare tediousum esset, ideo de quodammodo innumerabilibus paucissima referam.

**A**nno autem m.cccc.xlix in Martio ante Pasca fuit quedam puella nomine *Catherina* filia cuiusdam *molendinarii de Overdorp in Wambeke* que cadens in becam sub— submersa fuit. Quam parentes cum non viderent eam venire ad prandium ceperunt querere et invenientes eam subersam lamentabiles voces dederunt quas vicini audientes concurretunt et videntes eam mortuam parentibus suggesserunt ut omnes simul auxilium nostre Domine de Gratia invocarent et ei vota sua offerrent quod cum fecissent puella ad vitam rediit et simul omnes cum ea ad nram dominam de gratia venerunt et ad quantitatem puelle ceream puella obtulerunt. Quod factum fere xii persone iuramento confirmaverunt. Quod audiens *Ducissa Brabantie Izabella* puellam videre voluit ac deinceps magnam devotionem sed et filius eius *Carolus* et alii curialiste ad nostram Dominam de gratia habere ceperunt.

**I**tem quidam puerulus de Bergis supra Zoniam trium ebdomadarum repertus est in lecto apud matrem suffocatus in quo infra horam non reppulit—erit anhelitum aut respirationem postea mater imploravit auxilium nostre Domine de Gratia et infra duas horas consolationem recepit, quoniam puer ad vitam pristinam rediit quem obtulit nostre Domine de Gratia cum equali pondere suo de cera et bladis.

**I**tem in Tolnis domicella Gertrudis uxor Baliuvi Joannis Boloys(*sic*) in tanta fuit infirmitate quod in longo tempore non inveniebatur in ea vita quam cum dictus *Jobannes* visitaret visa est ex pena

contrahi in membris et os et facies vertebantur ad latus corporis. Hiis visis idem *Johannes* imploravit auxilium nostre Domine de Gratia omnem spem et consolationem ponens in ea promittens tantum cere quanti ponderis esset infirma uxor eius et post votum rediit uxor sua ad pristinum statum, et postquam sanata fuerat solvit votum et in propria persona hic fecit peregrinationem. Huius rei testes fuerant custodes eius in sua infirmitate qui ex compassione pati habuerunt. Et dictus *Joannes* pro cera dedit xii Salucia, et petiit fieri unam argenteam domicellam ponendam iuxta nostram Dominam de Gra que fuit vendita in erectione monasterii.

**I**tem quidam *Henricus* filius hospitis in *columba te Waelem* videbatur obsessus a demonio. Unde parentes contristati imploraverunt auxilium nostre Domine de Gratia quo facto illa nocte mansit puer quietus in lecto de mane inveniebatur liberatus et de nullo quod sibi accidit scire voluit. Istud quatuor parati fuerunt iurare.

**I**tem *Catharina Evelpoels* habitans *Tsone* glutivit splinter quod mansit in gutture suo a sabbato usque Dominicam circa xxiiii horas, que implorans auxilium nostre Domine de Gratia statim sine nocimento emisit splinter.

**I**tem quedam *Puella de Duffele* percussa in latere capitis ab equo intantum fuit quod partes cerebri ex vulnere extrahebantur quam cum voverent nostre Domine de Gratia sana facta est habens bene memoriam ut prius.

**I**tem de diversis doloribus curati. Item quidam muti recuperaverunt loqueland, quidam rupti consolidati sunt, quidam habentes foramina in corpore sanati, quidam de gravella liberati, quidam claudi et paralitici consolidati, et de multis aliis de quibus esset longum narrare qui auxilium nostre Domine de Gratia obtinuerunt.

**I**tem uxor *Joannis vanden Berghe* ex dolore partus amisit loqueland a sabbato usque dominicam postquam peperit et in puero non inveniebatur vita predicto tempore usque post summam missam diei dominice sed postquam obstetrix vovit matrem et puerum nostre Domine de Gratia, mater rediit ad se et recuperavit loqueland et puer habuit vitam et baptismum, et postmodum vir et uxor vota devote solverunt et ita sub damnatione eterna affirmaverunt.

**I**tem quedam *Aleydis* nutritivit infantem cui pellis alba crevit in uno oculo quem cum vovisset nre Dne statim cecidit pellis

de oculo.

**I**tem frater Arnoldus de Panccuke de prope Ypris effectus fuit cecus ambobus oculis et implorans auxilium nostre Domine de Gratia vovit peregrinationem cum duobus argenteis oculis et cereis, et iterum clare visum recepit quod omnibus patefecit.

**I**tem soror Beatrix habitans in *Hulsterloo* fuit uno anno cum medio ceca penitus ambobus oculis et duobus annis absque gressu etiam cum baculis que per implorationem auxillii nostre Domine de Gratia visum et gressum recepit et veniens ad locum istum diu mansit in quadam domuncula iuxta Capellam, cui *Ducissa Izabella* sepe necessaria ministravit, ex cuius etiam sanatione maiorem devotionem ad nram dnam de Gra sumpsit et dummodo de adventu fratrum Cartusiensium audivit timens quod illic propter eos amplius manere non posset se iterum ad Flandriam transtulit.

**Q**uedam etiam matrona habitans in *Vlesemeke* excessive patiebatur de calculo nec valens a medicis aut alias invenire remedium audiens de virtutibus per nram Dnam de Gra factis vovit quod ix diebus continue eam personaliter visitaret pro remedio salutari ab ea obtinendo, quod cum quatuor aut quinque diebus continuasset super locum dictum *den Hoochcouter* album lapidem emisit ad imaginem fere unius ovi adhuc sed fractus pendet in reticulo in Capella, quo emisso ab omni dolore se sensit liberatam, quem detulit in capellam. Ex quo signo plures diversa patientes ceperunt similia vota emittere et novem diebus continue eundem locum visitare aut circa locum remanere et omni die suas oblationes offerre. Et quia pro tunc pauca hospitia ibidem erant constructa in tentoriis et papilinibus ex diversis partibus ibi iacebant quibus pie mentes et qui sedebant ad apportionem ex oblatis, necessaria victus providebant precipue pauperibus et indigentibus. Unde propter maximum concursum peregrinorum plura ibidem hospitia constructa fuerunt sed usque ad unum iam omnia sunt deposita.

**M**ulta alia signa legi et audivi que in principio erectionis nostre Domine de Gratia et Capelle eius et monasterii facta sunt de quibus particulariter enarrare perlongum esset que studiose pretero. Unum tamen quod audivi a predecessore nostro tacere nequeo videlicet qualiter quidam Anderlectensis veniens quodam tempore cum aratro ad reseminandum que prius seminaverat eo quod parum crevisse videretur, convertens se ad nram Dnam de Gra dixit O Domina committo vobis quod seminavi prius, et non reseminabo et de quodam decennario fascicularum qui venevit dabo vobis ix mitas, et tunc recessit, et cum venisset messis copiam habuit bladorum sed immemor voti sui nil obtulit nre Dne. Contigit autem ut quadam die quedam vendidisset ad solvendum creditoribus suis et veniens domum de taberna repperit se perdidisse bursam suam

cum pecuniis. Unde revertens ad hospitium ubique quærebat bursam suam sed non invenit. Tandem in se reversus ait. Merito hec patior quia non solvi nre Dne vota mea, sed o domina memento mei et adiuva me ut invenire possem bursam meam cum pecuniis et dabo statim pro quibuslibet ix mitis xviii et post hec adhuc semel ibat versus tabernam ad querendum bursam suam et in itinere invenit eam in loco quodam ubi sepius eam quesierat et pertransierat et statim solvit quod vovit.

**P**redictis et aliis multis signis et prodigiis omnium ore divulgatis multa dona et oblationes auri et argenti cereorum et aliarum rerum dicte Dne de Gra per utriusque sexus homines oblata et apportata fuerunt ad eiusdem gloriam et honorem super quibus matura deliberatione habita visum est Dominis Ammano et senatui Bruxellensi quod honestum esset et iuribus, et rationi congruum quod dicte oblationes iam date et in posterum apportande ad dei atque gloriose virginis Marie honorem et ad divini cultus augmentum in loco eodem deberent expendi et converti, et quod ad illum finem terre necessarie de eadem pecunia deberent comparari ut una pulchra et notabilis Capella in dicto loco constru et edificari posset quod deo auxiliante factum est ut patet.

**P**ost hanc deliberationem dictus Ammanus dns *Joannes de Kestergate* et senatus Bruxellensis deputaverunt duos magistros fabrice Capelle faciende sc *Joannem Cambier* et *Egidium de Dielbeke* viros probos et honestos, quibus circa festum Laurentii hoc anno xlix adiunctus est ut custos omnium *Hermannus de Anderlecht*, qui idem adhuc habet officium ad recipiendum apportum custodiendum, et disponendum, et ad emendum procurandum, et preparandum omnia necessaria et impensas pro notabili Capella in eodem loco construenda et operarios convenientes conducendos et necessaria requisita ad idem opus perficiendum ex oblationibus congregatis et congregandis prout diligenter executi sunt.

**A**nno igitur supradicto omnibus necessariis ad dictum opus preparatis et habita prius a Diocesano et *Duce Philippo* et Capitulo, ac parochia Anderlectensi licentia, ut oportet ut retulit *Hermannus* supradictus metuendus dns *Karolus de Cherloys* prout unicus heres et filius eiusdem ducis *Philippi* profesto Cathedre die sabbati in ieumio primarium lapidem suis armis insignitum huius Capelle posuit. Et eodem die de consensu Episcopi Cameracensis primam missam in parva domuncula ibi stante ut premissum est celebrari fecit, et deinceps idem Episcopus licentiam dedit quod ex tunc illi de curia principis in eadem

celebrare possent per se, aut per alium donec Capella que desuper construebatur esset perfecta et consecrata. Et ex tunc ceperunt ibidem misse celebrari. Eadem autem estate subsequente muri Capelle usque ad tectum imponendum fuerunt erecti et ibi tunc opus dimissum.

**V**ide literam de licentia episcopi Cameracensis et quod in capella super altare portatile possit celebrari ter in ebdomada in 3º libro sc de literis huius modi. Anno 1 Junii xxvii<sup>a</sup>. Item vide literam de petia terre super quam Capella est fundata in 2º libro de literis hereditatum anno 1.

**I**tem post hec in Aprili dummodo construeretur capella venit huc in propria persona ad visitandum nram Dnam de Gra et ad audiendum missam *Joannes Archiepiscopus Remensis* qui contulit certis diebus per annum et quoties quis uno die ex devotione dictam Capellam visitaverit et ad ipsius edificium eleemosinam tribuerit xl dies indulgentiarum. Vide literam seu copiam eius in 3º libro de huiusmodi anno m.cccc.l xvi<sup>a</sup> Aprilis ante pasca.

**I**tem anno m.cccc.l. in profesto Ascensionis dni dummodo dicta capella cooperiretur scalis accidit quidam casus lamentabilis, de quo quia satis declaratur in libro de origine huius domus ideo hic silendum puto qui vel maligno spiritu cooperante aliasve negligentia(*sic*) an indiscreta custodia evenisse putatur eodem tamen anno ipsa capella in exterioribus perfecta fuerat.

**P**redicta itaque capella edificata et cooperta ad dei et nostre Domine de Gratia honorem completa et fere spatio quatuor annorum hominum illuc peregrinantur devotione continuata ex apporto supercrescenti ultra exposita pro edificiis quasdam terras circa eandem capellam iacentes emerunt de quibus vide copias literarum in 2º libro de hereditatibus annorum m.cccc.liii. et m.cccc.liiii. et unam blaviam coronam unde vide literas ibidem annorum m.cccc.lvi. et m.cccc.lx. et alia ut patet ibidem de quibus aliqua sunt quitata. Quibus terris circa capellam eandem in modum cimiterii murus ad altitudinem vi vel vii pedum constructus fuit pro levi structura facienda ad expectandum pro magis competenti in futurum facienda. Sed et post hec propter reliquias guerrarum Flandria tam etiam propter communem mortalitatem et bladorum caristiam cepit hominum devotio tepescere ac per hoc apportus et eleemosinarum largitio decrescere iuxta illud Matthei xxiiii. Cum habundaverit iniquitas, frigescet multorum charitas. Et fere duobus annis aut plus sic solennius ac tutius publice ad dei et nostre Domine de Gratia honorem possent celebrari institerunt prescripti magistri fabrice eiusdem capelle apud *Dominum Johannem de Burgundia* Episcopum Cameracensem ut eandem Capellam per se aut per Suffraganeum suum faceret consecrari.

offerentes pro iuribus suis ea que iuxta laudabilem consuetudinem in talibus consueta sunt observari quod tandem ut patebit medio bonorum amicorum obtinuerunt.

**P**ost hec paucis effluxis diebus cepit vulgus aliqualiter tam in pristinam devotionem ad nram dnam de Gra spiritu sancto cooperante reductum mediantibus certis personis dicere et dnos de senatu Bruxellensi avisare et propulsare quod locus circa dictam Capellam esset valde aptus et idoneus pro uno novio monasterio aut fratrum minorum de observantia seu sancti Gulielmi aut sanctimonialium sancte Brigitte aut Crucifererum vel similium ex qua avisatione seu fama quidam Crucifer presente magistro *Adriano Dullaert* eiusdem Oppidi secretario et in utroque iure licentiatu senatum Bruxellensem adiit in propria persona rogans instantius ut idem senatus predictam Capellam cum suis pertinentiis sibi dare et assignare vellet quatenus convocatis fratribus sui ordinis deo et nostre Domine de Gratia monasterium ordinis sui de observantia erigere posset. Dicens se desuper a summo Pontifice per indulta Apostolica fore provisum et munitum, sed denegata sibi sua petitione idem religiosus recessit nec amplius est reversus.

**S**imilem etiam instantiam dicitur fecisse apud senatum eundem quidam ordinis Cisterciensis professus domus de *Molinis civis Bruxellensis* dns *Joannes Smettenbier* confisus in amicis suis quos habuit Bruxellis ut sibi eadem Capella cum suis pertinentiis donaretur ad construendum ibidem domum ordinis sui de observantia sed ut precedens nil impetravit et amplius pro eadem laborare destitit.

**V**identes autem Ammanus et Senatus quod diversi religiosi instant pro dicta Capella et loco ad construendum ibidem domum alicuius religionis ceperunt cogitare que domus seu religio magis conveniret tam loco illi quam etiam oppido et in eo habitantibus et cui amplius faverent et afficerentur. Et quia dictus Ammanus Bruxellensis dns *Joannes de Angia alias de Kestergate* magnum amorem et favorem gessit ad ordinem Cartusiensem(*sic*) tum ex eo quod predecessores sui aut de parentela sua fundatores fuerunt domus Cartusiensis in Herniis iuxta Angiam tum quia in eadem domo que a domino suo non multum distabat sepius conversatus fuerat et illorum religiosorum conversationem noverat, que sibi valde placebat. Ideo priorem dicte domus de Capella in Herniis ad se vocavit et secrete secum in diversis locis et vicibus de domo religiosa erigenda apud Capellam nostre Domine de Gratia conferebat et maxime ordinis eiusdem prioris sc Cartusiensis.

**I**tem prescripta omnia etiam revolvens magister *Adrianus Dullaert*

predictus et quod dicta prodigia et signa instinctu divino facta sunt misterium magne rei future, similiter et prosperitas capelle cum suis pertinentiis. Et quod ipsa diu non posset manere absque ministris iuxta verbum decreti qui dicitur, quod devotus locus non debet a ministrorum gratia diu vacuus permanere sed frequentia populi concurrens ibidem debet servatis canonibus integrum conventum habere. Attendens etiam quod dictus locus satis longe ab oppido Bruxellensi distans et campestris non conveniret monasteriis mendicantium qui in publico incertum habent querere victum, et satis multa mendicantium monasteria sunt in Bruxella sic ex charitate frigescente et multarum partium distributione inter mendicantes minor eis veniret eleemosinarum largitio aut competens distributio sine quibus nimium egere haberent. Et specialiter non conveniret locus pro fratribus minoribus de observantia eo quod inter eos et fratres minores de communi vita infra Oppidum dictum commorantes nova ac cotidiana litigia et detestabilia scandala in populo et republica Bruxellensi successu temporis faciliter et verisimile timeretur posse oriri. Sed potius locus videbatur idoneus pro non mendicantibus sive monachis aut canonicis regularibus vel sanctimonialibus secundum primam institutionem aut saltim reformationem viventibus.

**C**ogitante igitur dicto magistro *Adriano* cui potius inter religiones non mendicantes dictus locus aptaretur et assignaretur ascendit in cor eius vite probitas morum honestas excellens scientia ac antiqua laudabilis, honesta et scolastica Lovaniensis notitia venerabilis, constantis ac probate religionis viri magistri *Henrici de Loe* in sacra Theologia Baccalarii formati pridem rectoris eiusdem alme universitatis Lovaniensis et regentis ibidem in pedagogio porci pro tunc domus Capelle beate Marie de Herniis iuxta Angiam ordinis Cartusiensis professi et prioris. Et potissimum quod illa Cartusiensis per celebris vita ac ordo ipse in ecclesia militante propter ipsius constantia et penitentialis ac regularis vite contemplative excellentiam specialiter extitit commendatus multosque viros probatos excellentes, literatos et beatos ac sancte sedis Apostolice ministros et rectores enutritivit. Considerans etiam quod ipsius Cartusienses per mendicitatem populo Bruxellensi ex ordinis sui non essent gravosi(*sic*) seu gravamini. Et quod ille ordo Cartusiensis in vicino ambitu districtus Bruxellensis seu ammania eiusdem monasterium non habebat perpendens etiam quam plura alia dictum ordinem Cartusiensem concernentia hic causa brevitatis pretermissa eum potius ad hunc ordinem quam ad quorumque alium commoventia et inclinantia proposuit sua motiva de dicti ordinis cartusiensis monasterio in loco prefato construendo ammano et senatui eiusdem Oppidi proponenda quod et fecit. Nam vito post hec dicto omnia detexit primitus prescripto domino